UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IOAN. PETRI || MAFFEII,|| BERGOMATIS,|| E SOCIETATE || IESV,|| HISTORIARVM || INDICARVM || LIBRI XVI.|| SELECTARVM, ITEM, EX || INDIA EPISTOLARVM || LIBRI IV.||

Maffei, Giovanni Pietro

Coloniae Agrippinae, Anno M.D.XC.

VD16 M 105

E graui morbo periclitatur. Cap. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64627

Visual Library

E graui morbo periclitatur. Cap. IX.

SED in eiuſmodi curam dum incumbit ardentius, nec tamen interea fere quidquam de aſſiduitate precandi, ac de quotidiana vitæ aſperitate diminuit, morbum ex ingenti labore contraxit adeo periculoſum & grauem, vt ſæuiente atrociter febri proximè ad mortem acceſſerit. quo tempore & oppidi magiſtratus periculo viri permoti, publicè diuerſoriũ illi curarunt neceſſarijs rebus inſtructum: & præter aliam amicorum turbam, honeſtæ matronæ, quę vitandæ peſtilentiæ cauſa Barcinone ſeſe eò receperant, certatim ægrotanti aſſidere, & nocturnas agere excubias, perinde quaſi in vnius vita ſalus omnium verteretur. Atque his populi officijs, ac pia ſedulitate bonorum, ereptus è præſenti vitæ diſcrimine, in id ipſum iterum ac tertiò recidit ob eam cauſſam, quòd nondũ planè confirmatis viribus (blandimenta videlicet carnis, & veteris hominis malitiã veritus) præpropera feſtinatione ad priſtinas occupationes corporis animique redierat: quarum põdere oppreſſus, denique didicit ipſe, alijſque deinde p̄cipere ſolitus eſt, imbecilla valetudine minuendos labores, curandumque tali tempore, vt quantum de conſuetis exercitationibus infirmitas demat, tantum ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem æquitas animi, & exemplum Chriſtianæ fortitudinis addat. Vetabat idem etiam corpus debito ſomno ciboque fraudari, multis eo tempore doctus experimentis, vt moderata ſobrietate vegetatur animus, ſic immoderata vigilia vel inedia vires adeo frangi ac debilitari, vt mẽs eatum miniſtério deſtituta, vix munere ſuo fungi, aut ad contemplationem rerũ diuinarũ poſſit exſurgere. Vexatus igitur, vt dicebamus, diuturna & periculoſa ægrotatione, demũ ita conualuit, vt ex reliquijs morbi dolore ſtomachi moleſtiſſimo ſubinde cruciaretur: quapropter calceos induere, & panni craſſioris tunica cinerea, & capitis tegumento contra ſæuitiam hyemis munire ſeſe piorum hominũ benignitate precibuſq; coactus eſt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN